



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

1. Quid Praesumptio? quotuplex genus Praesumptionis? praesumptiones quam sui causam & principia habeant? an praesumptio sit vera species probationis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

emisses malevolè, furca tibi præmi-  
um futurum erat; & tu me modò  
tanti sceleris auctorem petis? *Æneas*  
*Sylvius in dicta Alphonsi Regis Lib. 3. num. 22.*  
Quæritur? an ad hominem illum  
condemnandum aliqua præsumi  
potuissent, sine temerariâ præsum-  
ptione? *Resolutio petitur ex num: 1.*

Ed & ex præsumptionibus interdum  
probationes deducuntur, quæ quan-  
doque plenè, quandoque semiplenè pro-  
bant: nonnunquam alias probationes co-  
adjuvant, ideò post titulos de probationi-  
bus in communi & particulari, hic etiam  
titulus subjungitur.

1. Est autem præsumptio nihil aliud  
quàm conjectura probabilis ex certo ali-  
quo signo proveniens, ad adstruendam rei  
dubiæ fidem, seu quæ alio non adducto  
pro veritate habetur. Quia verò quædoq;  
Jus, quandoq; Judex conjecturas ex per-  
sonarum & rerum circumstantiis elicit,  
hinc duplex natus est præsumptionis ge-  
nus apud DD. ut quædam præsumptiones

M 2

sint

sint juris, quædam hominis, sive rectius  
 Judicis. Hæc est, cuius effectus non est in  
 iure expressus. *L. utr: ff. de lib. donat: intro  
 Mar: & Vxor:* & dividi potest in temerari-  
 am, quæ ratione probabili caret, & à iure  
 respuitur *cap. licet her: de sim* & in non te-  
 merariam, & est conceptus in mente cau-  
 satus, ab aliqua conjectura aut facto pro-  
 babili, quæ quia subindè maior, subindè  
 minor, ideo eandem quidam subdividunt  
 in vehementem seu violentam, quæ ple-  
 nam facit probationem. *cap. inquisitione  
 in 2. distinguimus. de sent: excom:* & si fama  
 aliisq; adminiculis roboretur, etiam ple-  
 nam probationem facit. *cap: tertio loco 13  
 h. t.* Præsumptio juris est, quæ in ipso iure  
 scripta est, vel à lege approbata, & hæc di-  
 viditur in præsumptionem iuris tantum  
 & in præsumptionem iuris, & de iure: illa  
 est, quando ius in re dubia aliquid præsu-  
 mit nihil de super constituendo quod præ-  
 iure sit: talis est præsumptio, quæ ex cau-  
 cellato chirographo oritur. *L. si chirogra-  
 phum 24. ff. de probat.* Hæc est cum lex  
 Canon ita aliquid præsumit, ut super ta-  
 præsumptione ius firmum statuat: & dicitur

ctur iuris, quia à iure introducta, & de iure, quia super tali præsumptione lex inducit firmum ius, & eam pro veritate habet, ita ut non admittat probationem in contrarium, uti admittit præsumptio iuris tantum. Talis est præsumptio consensus matrimonialis, quæ oritur ex concubitu sponsi cum sponsa *cap: qui fidem de spons: quamvis tale matrimonium præsumptum inter sponsum & sponsam ob carnalem copulam subsequutam, hodiè abrogatum sit, per Trid: sess: 24. cap. 1.* Hujusmodi quoq; præsumptiones sunt, quæ extant in *L. antiqua C. ad SC. Vel. in L. fin. C. ad Maced.*

2. Præsumptiones oriuntur, vel ex naturali causa, & naturalibus principiis, ut præsumptio, quâ præsumitur esse ignis, unde fumus exire conspicitur: quæ merito violenta dici potest, cum sit prorsus necessaria, nec probationem in contrarium admittat: vel certè oriuntur ex principiis, conjecturis, indiciis humanis, aliisve circumstantiis Lege humanâ approbatis; quamvis præsumptio iuris & de iure desumatur exactis præteriti temporis,